

ORATIO

IN REGIO ATHENAEO MELITENSI
X KAL. DEC. MCMXLVIII
A GERALDO SEASTON HABITA, QUO DIE
IFOR LESLIE EVANS
LITTERARUM DOCTOR HONORIS CAUSA
RENUNTIATUS EST.

Summo studio libenti mihi, auditores humanissimi, munus hoc contingit, ut coram hac tanta frequentia hominum literatissimorum pauca quaedam proferam, quo melius quem Senatus noster honoris causa ad gradum Litterarum Doctoris hodie promovendum esse decrevit, eius praeclarissimam scientiam atque virtutem prae oculis habeatis.

IFOR LESLIE EVANS abhinc quinquaginta annos in Cambria est natus, in parva quidem et paupere terra, sed locorum amoenitate atque acerrimo incolarum ingenio maxime dotata. Numquos usquam, quaeso, ubique terrarum inveneritis quibus non sit satis nota et probata illa fervida vis ingenii, qua Cambrenses inter ceteras nationes emicant atque elucent? Ab antiquis enim temporibus virtutes spectatissimas nonne videmus in hac praesertim gente consociatas, summam erga Deum erga patriam pietatem, summam musicae poeticae bonarum artium omnium venerationem, summam eloquentiam, animos tum in republica acutissimos, tum in Marte semper indomitos?

His vero patriis moribus ac disciplinis ab incunabulis imbutus, studiis puerilibus peractis et toga virili vix sumpta, litteris hic tum in Gallia, tum in Germania incubuit, ut qui, optimae spei adulescens, largiores addiscendi facultatibus sibi conquireret. Dis aliter visum! Nam bello illo primo in furorem Teutonicum indicto, intra fines hostium interceptus, in arctam custodiam conjectus est. Bello tandem composito, post quatuor annos liberatus et in patriam reversus, ut studia tam infeliciter intermissa revocaret, ad academiam nobilissimam Cantabrigiensem sese contulit. "Hinc lucem et pocula sacra." Disciplinis praesertim historicis et oeconomicis operam impendit, et iurisprudentiae etiam lauream adeptus, studiis summa cum laude peractis, Socius sui Collegii Sancti Ioannis Evangelistae adscitus est.

Nec tamen id satis cordi sentiebat, vir tam alacri ingenio praeditus, ut otiosus domi maneret. Nam sive quod bonum, ut aiunt, sit diffusivum sui, seu quod ut ita dicam cacoethes quaedam vagandi impelleret, at certe, si licet Catulli versibus uti,

iam mens praetrepidans avet vagari,

iam laeti studio pedes vigescunt.

Enimvero sequentibus annis, vel discendi vel docendi causa, omnes fere

terras Europae peragravit, Americam invisit, in partes denique Africae ultiores iter convertit. Genevae in Helvetia de iure et consuetudine gentium, et alibi de rebus provinciarum imperii Britannici administrandis, summa omnium adprobatione praelectiones habuit. Num mirum igitur videtur talem virum, tantis exterarum gentium laudibus ornatum, a civibus suis Cambrensibus dignum haberi qui ad altiora quoque promoveretur? Hos multos igitur annos Collegio Academico praepositus quod est apud Aberystwyth, tanta ubique pollebat gratia ut mox praeclarissimi Athenaei Cambrensi in vicem Cancellarii electus sit, cuius partes iam altera vice faustis omnibus implet.

Venio nunc ad illa quae ad nos et nostra propius pertinent. Nam studia provectora in coloniis Britannicis promovendi causa, concilium quoddam nuper creatum est, uti scitis, quo homines in rebus academicis curandis peritissimi inter se consociati deliberarent. Ex quo factum est ut hic lectissimus vir, in hoc concilium iure suo adscriptus, in hanc tandem insulam Melitensem auxilii ferendi causa pervenerit.

Iam vero quid ego de huius in nobis optime gestis rebus commemorem? Nam quomodo se gesserit postquam ad nos pervenit, haud dubium est quin omnibus sit notissimum. Hanc nostram studiorum rationem integratam, amplissimas pecuniae facultates in aerarium nostrum collocatas, totum denique nostrae academiae statum atque condicionem in melius renovatam, haec huic omnia gratis animis accepta referimus. Nec solum inter dona ferentes est laudandus; nonne se ipsum, donum gratissimum, nobis contulit? nonne semper negotiis consiliisque nostris interest, sodalis factus Concilii huius Athenaei? De moribus eius facillimis, de consilio in negotiis, prudentia in agendo, celeritate in conficiendo, in angustiis fide et constantia, quid dicam? Nota sunt vobis.

Te igitur, quem scimus de huius insulae salute tantopere curare, maxima cum gratulatione excipimus, quippe quem Senatus noster dignissimum indicaverit ut Litterarum Doctor honoris causa renuntieris. Vos quoque, auditores, qui pro vestra mansuetudine haec verba mea accepistis, pro certo habeo haud aliter sentire.